

82. Deinde quòd interdum eventus prædictio-
nibus respondet, id fit iusto DEI iudicio, in pœnam
eorum, qui hisce artibus delectantur & ex his re-
rum suarum & futurarum eventus metiuntur: ut
illud his accidat, quod dicitur prov. 10, 24. Quod
metuit impius, hoc etiam ipsi evenit & Ies. 66. 4.
Quæ timebant, ego adducam super eos.

83. Cuius rei Exemplū scriptura ob oculos nobis
constituit in Samaritanis, qui Simoni Mago, eò
quòd multis tēporibus magice suæ artis experien-
tiã probatã fecerat, adherebant. Act. 8, 9, 10. & 11.

Quæstionis controversæ decisio θελην.
veras peccati causas definiens.

84. Veram ac propriã peccati causam Articulus
noster, constituit, voluntatem malorum,
Diaboli videlicet & impiorum.

85. Geminam nimirum causam, sed utramque
veram ac propriam, licet unam remotiorem &
& externam, Diabolum videlicet: propinquo-
rem & internam alteram, ipsam nimirum homi-
nis voluntatem, definiens.

86. Etsi enim Originalis peccati respectu pec-
catorum omnium causa prima est Diabolus, qua-
tenus ille ad peccandum protoplastes incitavit,
& hanc subsecutorum malorum Iliada in nos
derivavit: tamen quoad actualia peccata, ve-
rior & propinquior causa est voluntas hominis
quàm Diaboli.